

*Strigon.* circa an. 1385. exaedificasse *Aedem Corporis Christi* tradit *Nic. Schmittb* in *Archiepp. Strigon. P. I. p. 210.* an vero illuc referendum etiam *Collegium Christi*, quod potius *Contubernium Juventutis scholasticae* innuere videtur, ignoro.

## XXXIII.

R. 2236 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 299. f. max. per duas columnas luculente perscriptus, rubricis distinctus et omnium Librorum initiis auro coloribusque splendidis, olim Bibliothecae *Episcopatus Neostadiensis* est Pars I. S. *Bibliorum* vulgatae interpretationis, ad quam sequentia observo. Gaudet ubique Praefationibus *Hieronymi* et consuetis Argumentis. Epistola ad *Paulinum* in plures Sectiones divisa est, quarum quaevis inscribitur: *Alius prologus. Fol. 218.* post *L. Nebemiae* sequitur *liber secundus esdre*, nempe tertius apocryphus. Post *L. Job fol. 255.* p. 2. haec minio: *Iste psalmus ideo non habet tytulum. quia capiti nostro domino salvatori de quo absolute dicturus est nihil debuit preponi. Sanctam enim eius incarnationis vitam impiorumque ultionem insinuat. Expectas Psalterium?* Sequitur: *Beatus vir qui non abiit in consilio. Parabole salomonis.* Codices Bibliici, qui *Psalterio* careant, haud admodum sunt infrequentes; quo vero consilio Rubricam hanc adpinxit Librarius? Post *Salomonis*

*Libellos: Et sic est finis prime partis byblie.*

## XXXIV.

R. 2237 Codex membraneus ejusdem rationis Folior. 299. cultu pauperior, incipit a IV. *Prophetis majoribus, minores, Machabaeosque* omittit. *Quatuor Evangelii* subdit *Actus Apost. Epistolas Canonicas*, ubi *Joh. I. c. 5.* Testimonium triplex ita confusum est: *quoniam tres sunt qui testimonium dant sicut in celo tres sunt. pater et uerbum et spiritus sanctus et tres unum sunt;* et *Apocalypsin.* Tum demum leguntur *Paulinae*, quas excipiunt notae illae *Interpretationes hebraicorum nominum*, et in summa ora pag. ult. habetur: *Anno domini M°. CCCC°. 39. factum est istud.*

## XXXV.

R. 2299 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 429. f. per duas columnas nitide exaratus, coloribus, et picturatis initiorum literis illustratus *Sacra Biblia* vulgatae interpretationis complectitur consuetis *Hieronymi* Prologis, et Argumentis instructa. Adest *Liber III. Esdrae. Psalterium* loco motum post *Prophetas* repositum est, et ad calcem habet *Syllabum* reliquorum *Canticorum sacrorum.* Ante *Machabaeos* Praefatio illa duplex *Rabani Mauri. Epistolis Pauli ad Coloss. et Thessalonic.* intercepta est spuria ad *Laodicenses. Actus Apost.* sequuntur *Paulinas. Testimoni-*